



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Consolator Fidelis Et Proficientis Animæ seu  
Exhortatiunculæ Spirituales Et Succinctæ In singulas  
Dominicas & Festa anni divisæ, quibûs Confessarius in S.  
tribunali animam Deum verè quærentem paternè ...**

**Eisvogel, Veremund**

**Augustae Vindelic., 1727**

XLI. Ad constitutos in persecutionibus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52716](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52716)

*Instructio meritoria.*

Ut interna fruatur pace, & citò ab importuna liberetur scrupulositate, nunquam imposterum adeat sacramentale Tribunal, quin non aliquos propriæ diffidentiae actus v. g. decem in honorem dolorosæ Coronationis spinæ, quam sustinuit Christus Jesus, exerucit, exercitos conscripserit, & conscriptos in manus Venerabilis sui Patris spiritualis extradiderit. Vincenti dabitur manna. Per mensem integrum recitemus vesperras ex officio defunctorum. Auxiliantur defuncti, quando se amplius juvare nesciunt scrupulosi.

## EXHORTATIUNCULA XLI.

Ad Constitutos in multis hominum odiis, & persecutionibus.

## I.

**F**ili! Aut vult vivere inter malos, aut bonos Christianos? Si inter malos: habet, unde patiatur persecutiones. Nam mali & celo, & terræ infensi sunt. Si inter bonos: non miretur mortalium odia. *Qui piè volunt vivere in Christo Jesu, persecutionem patientur.* Pii quiescere, & gaudere in mundo, nequaquam possunt. Mundo semper displicuit virtus.

*Instructio meritoria.*

Magna gratia, pro Christo quid pati! Ne ingrati simus tantæ, quam in persecutionibus experimur, providentiæ, ter per diem SSS. Trinitati intonemus Simeonis Canticum: *Benedictus*

*Domi-*

*Dominus Deus Israël &c.* additō illō devotæ animæ testimoniō ad quamlibet horam repetendō:  
*Patior, quia amo; amo, quia patior.*

## II.

**D**ilecte! Non doleo, sed vobis gratulor. Quæ enim major in mundo fors, & felicitas, quàm ut Jesus, & pro Jesu quid perpeti? Quàm suaves, & jucundæ vobis esse debent persecutiones sæculi, quibùs genuini probamur Dei amici! At quàm metuendæ, quàm crudeles hominum blanditiæ, quæ auferunt robur, & dulcedinem divinæ gratiæ! *O Seculum nequam* (justè exclamemus cum mellifluo Doctore) *quod tuos sic beare soles amicos, ut Dei constituas inimicos!*

*Instructio meritoria.*

Bonum pro malo reddamus, inimicos, ut nostros benefactores suspiciamus, & ne propter nos vel corpore, vel anima luant per Dei justitiam, centum Pater, & Ave offeramus, his decies immiscendō: *Pater! Dimitte illis, quia nesciunt, quid faciunt.*

## III.

**A**mandissime! Contemne mundi, & mortalium sermones, atque judicia! Cæci, temerarii, ac iniqui illi plerumque sunt rerum æstimatorum. Cura, ut Deo, & tuæ conscientiæ tua duntaxat probentur opera. Non homo sedebit ad tribunal in judicio extremo, sed scrutans corda, & renes Deus. O Felix, si eò innocens te duxerit mens, & hilaris conscientia! Hæc gloriabitur; mundus autem confundetur, & lamentabitur.

*Instructio meritoria.*

Grande Nomen : esse Christi servum ! Erimus, si persecutionibus non cedamus. Pro impetranda igitur tolerantia, & longanimitate veneremur totam Ætatem Christi Jesu orandô 34. Pater, & Ave, simulque cum gaudio Spiritus ter repetamus Capitulum D. Pauli : *Ibant Apostoli gaudentes à conspectu concilii; quoniam digni habiti sunt, pro Nomine Jesu contumeliam pati.* Jungamus quoque Psalmum : *In Convertendo Dominus captivitatem Sion.* Sit nobis Jesus charior homine, & mundo. Hi fallunt; Jesus redimit.

## EXHORTATIUNCULA XLII.

## Ad Pauperes, &amp; inopes.

## I.

**A** Mice! Pauper, & inops est? Quid tum? Sit suâ contentus sorte! Habet & paupertas benè tolerata divitias: & gloriam in domo Dei, quò eundum cum gaudio. Difficile, qui pecunias habent, in regnum Dei introibunt, ait Christus per Matthæum. Vade ergo, Deo gratias age! Gloriare in paupertate! Hæc quò major, eò & tu Jesu similior, cælo vicinior. Christum quando divitem vidimus? Fortè in Præsepio? Aut in Cruce? Quid hîc oculi nostri?

*Instructio meritoria.*

Deponamus nimiam pro nostris necessariis sollicitudinem, & omnem curam in Deum conjiciamus, qui noster Pater est in cælo. Necessaria proin